

[NARRATIO TERTIA]

[8.] Interea, reddita civitate et Turcis deductis Constantinopolim, unde imperator magis magisque gavisus quod civitas redditum sit ejus potestati, jussit maximas eleemosynas erogari nostris pauperibus³. Denique

prima die qua recessimus a civitate¹, venimus ad quemdam pontem^a ibique mansimus per duos dies. Tercia autem die, priusquam lux cepisset oriri, surrexerunt nostri et, quia nox erat, non viderunt tenere unam viam, sed sunt divisi per duo agmina et venerunt divisi per duos dies². In uno agmine fuit vir Boamundus et Rombertus Normannus et prudens Tancredus et alii plures; in alio fuit^b comes Sancti Egidii et dux Godefridus et Podiensis episcopus et Hugo Magnus comesque Flandrensis³ et alii plures.

Tertia vero die irruerunt Turci vehementer super Boamundum et eos qui cum ipso erant⁴. Continuo Turci^c ceperunt stridere et garrire ac clamare excelsa voce, dicentes diabolicum sonum nescio quomodo in sua lingua³. Sapiens vir Boamundus videns innumerabiles Turcos procul stridentes et clamantes demoniacavocę, protinus jussit omnes milites descendere^d et tentoria celeriter extendere. Priusquam tentoria fuissent extensa, rursus dixit omnibus militibus : « Seniores et fortissimi milites Christi, ecce modo bellum angustum est undique circa nos. Igitur omnes eant^e viriliter obviā illis et pedites prudenter et citius extendant tentoria^f. »

Postquam vero hoc totum factum est, Turci undique iam erant circumcingentes nos dimicando et jaculando^a et mirabiliter longe lateque sagittando. Nos itaque, quamquam^b nequivimus resistere illis neque sufferre pondus tantorum hostium, tamen pertulimus illuc unanimititer gradum. Femine quoque nostre in illa die fuerunt nobis in maximo refugio, que afferebant ad bibendum aquam nostris prelatoribus et forsitan semper confortabant illos pugnantes et defendentes^c. Vir itaque sapiens Boamundus protinus mandavit aliis, scilicet comiti^d de Sancto Egidio et duci^e Godefrido et Hugoni Magno arque Podiensis^f episcopo aliisque omnibus Christi militibus quod^g festinent et ad bellum citius approximent, dicens : « Et si hodie luctari volunt, viriliter veniant^h. » Dux itaque Godefridus audax et fortis ac Hugo Magnus simul venerunt priusⁱ cum suis exercitibus, episcopus quoque Podiensis prosecutus est illos una cum sua exercitu et comes de Sancto Egidio cum gente magna juxta illos^j.

Mirabantur ergo nostri valde unde esset exorta tanta multiudo Turcorum et Arabum et Saracenorum^k et aliorum quos enumerare ignoro, quia pene omnes mortales et colles et valles^l et omnia plana loca intus et extra undique erant cooperia de illa excommunicata generatione. Facta est itaque sermo secretus inter nos laudatoria^m.